PANEGYRICUS INNOCENTIO 11

Francisco : de Macedo

Digitized by Google

Digitized by Google

Misc. 1060. 12

Digitized by Google

1060
1

XXXVII
MAC

PANEGYRICVS INNOCENTIO XI.

RArò aliàs Pontifex extitit, qui iuſtioribus votis expetitus, alacriori ſtudio expectatus, maturiori deliberatione libratus, maiori ſuffragantiũ conſenſione electus, clariore populi plauſu exceptus, effuſiori totius Reipubl. Romanæ gaudio ſalutatus, teſtatioribus reuerẽtiæ ſignis à Chriſtiana Eccleſia adoratus. Peperit Mater Eccleſia filium, mox futurũ Patrẽ, quem ſolicitè parturiebat. Anxietas ſtudioſa ſcrutabatur dotes, & conſilio in examen verſo periclitabatur virtutes. Nihil gratiæ, nihil potentiæ datum: clauſæ ambitioni, & petitioni fores, excludente ſacra Patrum Purpura candidatos. Puduit candoris, vbi ſola habenda erat ratio meritorum. Nec ſatis fuit merentem eligere, cùm omnes eo nomine venire ad ſuffragium poſſent, ſed eum qui præſtaret cæteris, & vota iure ad ſe traheret, vt niſi crearetur Pontifex, iuſtitiæ fieri videretur iniuria. Deliberatum erat omnibus, non tam dare dignitatem, quàm reddere. Anteuertere flatum Spiritus Sancti confirmantis viſi ſunt Principes purpurati, dum eiuſdem excitati afflatu acceſsere ad eligendum. Non potuit eſſe humana illa conſenſio animorum, paulo antè inter procellas conſultationum, & diſſertationum pro impulſuum varietate fluctuantium, vnanimiter in vnum conſentientium. Deſpumarunt tandem ij fluctus in albos calculos, & candore, prægeſtientium lętitia, volubili, mare purpureum coronarunt. Tunc viſa eſt celeſtis Columba, quæ diu ſuſpenſa libratis plumis in aere ſteterat, deuolare, & inſigne Magni Odeſcalchi caput blandè inſidere, & renitenti ſuauiter abblandiri. Vnus ille ambiguus hærere, ac mærere. Sed Spiritus, qui vbi vult, ſpirat, non debuit alienam expectare voluntatem. Exijt demum Innocentius, quem Columba Innocens, & deſtinabat, & deſignabat, & nomen imponebat. Innatum hoc ei diceres, non impoſitum, niſi quòd ſignificantius eſſet, ſi *Innocentia* diceretur, & in naturam nomen tranſiret: cuius ipſe virtutem, vimque tenebat. Macte Innocenti! quem à teneris Innocentia quaſi obſtetrix educauit, ac ex luſtralibus eduxit vndis, & purum, intaminatumque ſeruauit. Parum eſt non nocere alijs: ſibi non nocere peccando, hoc veræ Innocentiæ argumentum eſt. Nec verò tu Innocentem te in aliqua ſolitudine præſtitiſti, vbi locus non eſt nocendi, ſed in maxima hominum frequentia, rerumque abundantia, vbi ſolet periclitari Innocentia, ſuppeditante copia inſtrumẽta

nocendi. Quod non ſine ſingulari Dei Prouidentia contigit, vt tua eſſet teſtatiſſima tot ſocijs, tot ciuibus, tot collegis præſentibus innocentia. Ecquis enim vnquam eorum te nocentem vidit? imo cuncti ſemper omnibus profeciſſe teſtantur. Id agebas, nequis egeret: abundabas, nequid cuiquam deeſſet: illud opus tuum erat, nequid alijs opus eſſet. Noueras vias omnes benefaciēdi priuatas, domeſticas opes, quæ erant ampliſſimæ, conferēdo in pauperes cōmunes faciebas. Semotus à publico, & domi concluſus publicum te erogatorē præſtabas. Nec rogari à miſeris opus erat, cùm tu prius eleemoſynis preces anteuerteres. Præcurrebas miſerias, quæ auolare ad opem implorandam ſolent. Tu eas incitare, vrgere, ſtimulare, ne tardarent, ac moras præcidere, vt feſtinarent. Sępè verecundiam, quæ in petendo interuenit auferebas, donando vel inopinantibus, ne erubeſcerent accipiendo. Occultare manum, ne dum tubam arcere, ne cui ſtips innoteſceret. Interdum ingerere, obtrudere vt preces auerteres, & in graui auro celeritatem quærere & alas addere metallo tardo, & moranti, imo & moroſo. Arte pietatis feciſti aurum volatile: didicit plumeſcere, ſeque mirari, quod naturam ponderis perdidiſſet. *Volatile ferrum* feritas humana, & inhumana reddidit ad necem: tua pietas aurum volatile ad vitam inermium, & egenorum. Nocens ferrum, *ferroque Nocentius aurum* dixit Vates, execratus auaritiam: tu Innocentius aurum innocentiſſimum tua liberalitate præſtitiſti. Nihil apud tē fuit auro innocentius: noxam ei omnem ademiſti. Theſauros alij condunt, ac recondunt, obruunt terra ne extent: tu eos eruis, & prodis vt pateant, vt proſint publico. Dum alij ſtudent cælare, tu in lucem educis, & cęlo exponis. Alibi cęlantur opes, & latent obtentæ: apud te eminent, & erumpunt foras patentes, apertæ: niſi quis velit dicere, quòd nobiliùs cęlo, quàm terra teguntur. Intellexti quid ſit in cælis theſaurizare. Hoc eſt in orbem ire, & ſphærarum inſtar moueri, imo & rotari propter perpetuam largiendi celeritatem. Manus ſponſi *Tornatiles* laudantur, quod nobiles eſſent, & verſatiles in donando: Cant. 5. propterea hyacynthinæ. *Plenæ hyacynthis*, cæleſti colore affirmante cęli virtutem. Tales ſunt tuæ, Innocenti Sanctiſſime, tornato more, ac ornato modo iugiter largientis, hyacynthis abundantes, quos perpetuo fluxu inſtar grandinis effundis, & locupletas orbem. Florea illa item donatio eſt vltra gemmeam, quod qui gemmas dat ſteriles porrigit, & gemendo largitur: tu flores cùm donas fęcundas reddis, & rides, & donando teſtaris fructiferas eſſe manus, quę florent, & geminant futura dona, quæ flores promittunt viciſſitudinaria liberalitate, ridente in manibus tuis prato liberalium florum. Itaque cùm benefacis adſtruis fidem iterum benefaciendi. Habet quippe magnificentia
Iſai. 11. radices, vnde dona renaſcantur. Quadrat in te *flos de radice aſcendet.* Nec verò tibi placet in hac cæleſti largitione harmonia illa Pythago-

rica

rica mouentium ſe ſe arcano rotatu titillantium ſphærarum orbium, & ſuauem quendam ſonum, & gratum ſtrepitum cientium; non enim amas rumores, ſed ſilentium: memor illius ſententiæ. *Cum facis eleemoſynam noli tuba canere ante te.* Occultè largiri ſoles, & vti oras in occulto, ita in occulto donas. Cætera extra hunc ſonitum in cælo probas, & tonitrus ſecernis à pluuia. Gemitus miſerorum audis. Tinnitus plauſuum obruis; inuitas accipientium manus, euitas gratulantium linguas: hìc ſolum placent ingrati. Verùm erit qui obiiciat illa tintinnabula Summi Sacerdotis in veſtis lacinia Pontificiæ, quæ malis granatis aſperata ad motum pedum impulſa reſonabāt, nata *Dare ſonitum in inceſſu ſuo* qui Harmoniam celeſtem in amictu illo hiacynthino approbabat. Non tamen obiectus hic locus quidquam euincit. Secus quippe res ſe habet in illo ſonitu incedētis, quàm in iſto rumore largientis: cùm ille ad pedes gradientis, hic ad manus largientis pertineat. Pedeſtre iter admittit ſtrepitum, dum via regia manuum illum excludit. Pedes in imo, in puluere verſantur, & interdum ſordes contrahunt. Quid ni & ſonos cieant? manus nobiliores procul à fæce, puræ à ſorde ſeruantur, longè ab immunditia retrahuntur: pedes in inceſſu dant ſonitum, cùm ſolum pulſant, reſpondente ſolo compreſſo, ſono expreſſo. Manus & cùm complicantur, & cùm dilatantur in donando ſilent, & cùm fortè plauſus edunt, exibilantur. Quid quòd illa tintinabula non ad inanem gloriolæ garritum, ſed ad ſolidum doctrinæ ſonitum pertinebant? *Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem!* Propterea inceſſus ille ſonorus erat, ac eſſe debebat; officioſus erat non inanis ad doctrinam ſpectabat, non ad ſpeciem gloriæ. Iuuat malogranatorum vicinia, quę multitudine granorum confluentium ad audiendum populorum turbam repræſentat; nec obſtat corona, quę ſignificat coronam audientium concionis. Itaque locus obiectus pedum vocalium, firmat ſuſceptum ad ſilentium largientium manuum argumentum. Inuitabas miſeros ad miſericordiam exercendam, non ad plauſus colligēdos. Diuinare ſolitus ſicubi egeſtas erat, ſcrutari abſcondita, inueſtigare pauperes venatica pietate: intromittere quæ deerant ad depellandam famem, ad operiendam nuditatem: pupillorum, ac viduarum luſtrum condere, eos in tuis cenſere, cenſum ijs aſſignare, parentum, coniugum deſideria beneficiis extinguere; diu noctuque excubare quò deprehenderes gementes, ac inopinum afferres ſolatium: illuſtrior erat nocturna tua beneficentia, quàm diurna; quòd longiùs à fama in tenebris manebat ſilentij; eò ſplendebat magis, quò minus apparebat.

Matth. 6.

Exod. 28.

Eccleſ. 45.

Iſai. 52.

Eccleſ. 45.

Hæc priuatus. Quid poſteà Pontifex, & Paſtor vniuerſalis? vix dum conſecratus Centum aureorum millia in Sacrum congiarium contuliſti, & locupletiſſimum patrimonium commune reddiſti,

abdicato iure, interdicto tibi libero vſu, more mendicantis. Relegaſti à Te pecunias, & aliò ablegaſti. Quinquaginta millia ſcutorum Polonis Catholicis legauiſti, pignus plurium, quę deſtinas animo ſubinde mittenda. Creditores eos populos feciſti, dum ſyngrapham illam debitoris nomine concinnaſti. Quid? quòd numos tuis impendiſti, nequid aliunde acciperent, & vinculis aureis ligaſti manus, vt libertatem accipiendi amitterent. De Zaram Sacra Scriptura commemorat, cùm primogenituram nactus eſſet, retraxiſſe ſe ſe ad vterum manu filo coccineo vincta, ceu iuraret nihil ſibi accepturum, cùm imperaret. Id ſignum imperij fuit ademiſſe ſibi poteſtatem. Dignum eò purpura Fratris Filium declaraſti. Patuit purpuratus Princeps vſu ſibi, fructuque interdicto. Nouus Oriens in Cœlo Vaticano naſcitur: id quippe Zaram nomine ſignificat. Nouum genus, Innocenti Sanctiſſime, liberalitatis inuexiſti, omne genus largitionis recuſare; ademiſti tuis quas optare poſſent, non facultates tantùm, ſed etiam dignitates: erumpentes quippe ad eas manus, ceu Zaram ligaſti, eoſque in ordinem redegiſti. Principatus Chriſti memor ſuper humerum facti, eum à manibus eorum ad humeros remiſiſti. Impoſuiſti Chriſti Vicarius imperaturis tuis Crucem: tormentum, non emolumentum. Vnde alij lucrum capiebant, tui damnum recipiunt. Generalis armorum Eccleſiæ Imperator ex principatu, quem gerebat, reditus percipiebat. Fratris tui Filius nactus honorem, onus ſolum retinet. Hic eſt verè principatus Crucis, humero impoſitus, inſtar oneris ſine lucro. Portauit Chriſtus Crucem: portauit & Simon Cyrenęus, Chriſtus oneratus, Simon angariatus: *Angariauerunt.* Chriſtus tormentum ex onere cepit, Simon emolumentũ lucratus eſt: pretium Simon, & vſuram quęſiuit in pondere: at Chriſtus ſolũ onus ſenſit, & in tormentum vertit principatũ. Haud ſecus nouus iſte princeps iuſſus eſt imperare, & onerari: portat Principatum Crucis ſolius oneris cõpos, non lucri. Sumit ſibi tormentum, relinquit alijs emolumentum. De Atlante fertur Cœlum ſuſtinere humeris, eique inſtar baiuli ſuccollare. Ille Orbes omnes portat, & circunfert, & perpetuo motu diſpenſat cœleſtia beneficia, influxus varios vtiles in mortales effundit, totoſque foras in alios impendit: ſibi ipſi nihil præter onus reſeruat: ſentit pondus, non capit fœnus. Solùm, vt ait Vates Mantuanus, *Ventos perpeſſus, & imbres* Crucem format ex luce, ſed aſtra ſibi vertit in arma, ſibi nocet dum aliis prodeſt. Patitur à Cęlo, à quo cęteri beantur. Alij potiuntur bonis cęleſtibus, quæ impartiunt Orbes illi cæleſtes fluxu continuo, & influxu ſyderum. Atlas curuantis, & baiulantis more ſudat, laborat ſub onere, ac gemit ſolas tempeſtates expertus. Flectit ſe, & girat, & curuat in aliorum vtilitatem, ac ſe cum ipſo cęlo impendit. Principatu deiectus, non erectus, quemadmodum ij ſolent qui imperant. O nouum genus imperandi! Vbi excogitatum,

Genes. 38.

Marci 15.

tum, & quando à noſtro Innocentio? In cubiculo, cùm orabat, & templo, cùm rei diuinæ operam dabat: In ſchola orationis didicit mentem à concretione mortali abducere, eamque cæleſtibus inſtitutis imbuere, & vni Deo vacare, humana deſpicere, ęterna intueri. In ſolitudine domi clauſus. In templis palàm contemplationi deditus abibat in ſuperos, ceu mundo renūciaret. Teſtes ſunt Eccleſiæ Vrbis Romanę, ac in primis Societatis Ieſu: quò ille ſępius ſe conferre ſolitus, tum audiēdi diuini verbi gratia, tū Sacrę Synaxeos frequentādæ ſtudio, tum bonæ mortis in ſodalitio, quod in ea ſingulis ſextis anni ferijs inſtituitur, meditandæ. Huius memoria infixa menti recurſabat animo, & caducas rerum cogitationes expellebat, & immortales inſerebat. Hæc vis orationis eſt, vt orantem transformet in Deum, & cętera quæ ſunt aliena, ac extra Deum auerſetur, & impetat. Documento ſit Moyſes. Peracta longa oratione in monte, deſcendit ſplendidus illuſtri facie: quæ ſic radiabat, vt oculis aſpici non poſſet *Ex conſortio ſermonis Domini* Exod. 34. verſus quodammodo in Deum, atque adeò cæteris infeſtus. Nam propterea lux acuminata pręferebat acuta cornua, *Cornuta* quippe *erat facies eius* geſtans taurinam faciem, vt taurino more quoſque ſibi obuerſantes incurſaret, impeteret, & arceret, ſolo Deo contentus. Scito quidem ſchemate. Quippe quòd id orando efficitur, vt Deus induatur cum ſpecie lucis, quæ formet cornua tauri ad incurſanda mortalia, & auertenda. Hinc Innocentij amor in Diuina, & odium in humana, quæ Deo aduerſentur. Singulari Dei beneficio nacti ſumus Pontificem ſimilem Moyſi, Vice Dei, cui regendus datus eſt populus in Deſerto apto ad orandum loco, qui Mana de cœlo accepit ſymbolum Euchariſtiæ, cui Innocentius eſt addictiſſimus. Adeo vt non alius ei placuerit Comes, & Adiutor Pontificatus niſi Cardinalis Alderanus Cibo, qui cibum illum Euchariſticum repræſentet. An non ille Maſſæ Princeps vnde panis exiſtit? An non ille panis Azymus ſincerus, & verus ſummæ integritatis, & Fidei? An non conditus nectare, & ambroſia propter ſuauitatem indolis, & morum, vt ab Angelorum ſubactus manibus videatur? An non quotidianus, propter continuam, & benignam copiā ſui, quam præbet? An non ſapidiſſimus propter plurimas & maximas virtutes, ex quibus componitur? Itaque & reficit, & delectat, & ad communem Reipublicæ ſtomachum facit. *Præbebit* hic *delicias regibus* ac principibus Sedem Apoſtolicam Genes. 49. conſulentibus: erit omnibus facilis in excipiendo, benignus in audiendo, comes in reſpondendo, vt videatur ſimilago ex flore farinæ ob ſuauitatem ſine vlla ſpina acerbitatis. Verè hic omnibus viuus panis, & victima, qui ſe pro Reipublicæ bono immolabit. Erit Sacramenti inſtar, quod nobis per beneuolentiā impartitum ſe communicat, noſque amoris opera in ſe transfert. Euadet panis Vincentis oppignerans de barbaris hoſtibus victorias. Nec vana extant argumenta, quæ in

Sapient. 9. vaticinia tranſeant. Hanc tuo ſolio *Aſſiſtricem ſapientiam*, Innocenti Sanctiſſime, Deus prouidit, cuius poſſes conſilio, & opera Chriſtianam adminiſtrare Rempublicam. Aſſiſtit, vt tecum ſit aſſiduitate perpetua, & tecum laboret continua diligentia, inſtar Intelligentiæ, quæ cælum moueat, agitetque, vt influat in terras, eaſque doctrina, & be-
Iſai. 6. nificentia locupletet. Par Spiritibus illis ardentibus Iſaiæ, qui *requiem non habebãt* igneæ compotes naturæ, quæ ſurſum nititur ſuperos anhelans, eòque euehens quæ corripit. Summa tibi contigit felicitas nanciſci Conſiliariũ, quod munus principale eſt, vnde Scriptura cum
Iſai. 9. dixiſſet *Conſiliarius* adiunxit *Princeps pacis*. Sapientiam diuinam ſapiens, quæ cum ſit ipſemet filius Dei in conſilium venit, *Portans om-*
Hebr. 1. *nia verbo virtutis ſuæ*, non vt quieſcat ſpeculando, ſed vt operetur regendo, & menti brachium addat, vt quæ excogitat in vſum & praxim reducat: eademq; ſit Verbum quod dictat facienda, & ſcribat geren-
Pſalm. 44. da, ac Secretarij munere fungatur *Lingua mea calamus ſcribæ* Secretorũ & particeps, & arbiter, qui & ſẽſa tui arcana percipiat, & excipiat, ac exponat fideliter, & proponat fidelibus. Huic Patroni nomẽ ademiſti, nequis inter clientes referret, quos filiorum loco eſſe vis: rem tamen reliquiſti, vt apud te vti patronus miſerorum cauſam ageret, & Patris officium, quem tu præſtare cupis obiret. Habes ergo conſiliarium fortem vltra ſapientem, qui fortiter agat, & ſtrenuè pro republica militet. Nec temerè antiqui Atlanti comitem Herculem dederunt robuſtum, & bellatorem, vt par eſſet oneri, & vires cum ſapientia copularet. Non erit ieiuna adminiſtratio, vbi iſte Cibus interuenit. Is quoque admonet Annonæ, cuius apud te nulla erit caritas, cùm nimia ſit tua ergo populos charitas. Cætera, te Pontifice, erunt nobilia, & ſplendida. Vna Annona vilis exiſtet. Hæc vilitas cordi tibi erit, eamque in parte ſplendoris pones. Noſti nihil in populis hac eſſe vilitate nobilius. In acie campi Floræ, fertilitatis certamen erit, contendente cum Flora, Pomona, Cerere certante cum Baccho, Cornucopia ab Acheloi fluij ripis ad margines Tiberis vrbem fructibus inundantis tranſmigrante, & Tauri fæcundi cornua apud Lupam deponente. Agrarijs legibus antiquatis mittetur inuidia diſcordiæ. Agri beati redibunt fortunati temporis patebunt omnibus copioſa granaria. Domini liberaliter ſua in publicum conferent. Pudebit ſuæ parcitatis agrarios, & agripetas, nemo egebit, nemo petet. Mendicantes voluntarij manebunt ex inſtituto, ex inopia nulli exiſtent. Sumptuarijs legibus opus erit propter abundantiam, ſed aurea mediocritate interueniente intemperantia frena mordebit: Sumptuariam tu ſolus non ſenties, cuius nullo repagulo munificentia continebitur. Id mirum: in tanta bonorum copia neminem ſuo tempore nepotem fore, & ad Diui Petri nullum dilapidantem bona inuentum iri, imo neminem loquentem lapides, ſed roſas. Vaticanum vaticiniis plenum felicitatem au-

guratur,

guratur, quibus applaudit clauium vicinarum garrulus tinnitus. Moſes Adriani Æliam prouocat vrbem, & pacem videntem, & ridentem exhibet, & in Angeli caſtrum verſa felicem reddit vrbem, & beat ciues. Verè ſponſam Agni dices eam ciuitatem, in qua Pontifex victimam pro populo agit, ac ſe immolandum præbet. Ille verè Princeps eſt, qui & Paſtoris, & Ouis munus præſtat: Paſtoris regendo, Ouis patiendo. Perinde eſt Paſtor, ac Ouis. Cùm Samuel miſſus eſt à Deo ad vngendum Samuelem regem, ideſt Homericum Paſtorem populorum, ab eo audiuit. *Dices: ad immolandum Domino veni.* quaſi creare regem eſſet immolare. Saul vngendus rex idem immolandus. Oleo perunctus defunctus reddebatur: quo delibutus erat vnguento, eo ſacrabatur in hoſtiam, & delibari ſe ſentiebat. Nunquàm Chriſtus regem ſe paſſus eſt dici, niſi cùm in Cruce litauit. Libens accepit titulum, & annuit capite inclinato: quod ſpinis obſitum admonebat Agni apud Iſaac inter ſpinas oblati, & memoriam myſterij renouauit. Habemus Pontificem Magnum, ſpecie Auguſtà facta ad imperandum: Magnum virtutibus, & in ſuis Maioribus Magnum. Conſtat Carolo Magno Imperatore Heroem Odeſchalcum Viennæ in Delphinatu Principem ingentes copias collegiſſe, eique veniſſe ſubſidio, & ſua cum eo arma iunxiſſe, eumque auctorem Domus clariſſimæ extitiſſe, nomenque Odeſcalchi indidiſſe, anno ſalutis octingenteſimo primo. Tam præclara, tam antiqua huius gentis fuere primordia. Magna ſub Magno Imperatore gloria, qui Maximus dici debuit, vltra Magnum. Ille qui totam Europam armis peragrauit trophæorum ſocium habuit Odeſchalcum, à quo item noſter hic Odeſchalcus Pontifex Maximus progenitus, ad Orbem Catholicum regendum natus; & quidem Comi ortus, quod Comis & comptus moribus futurus erat, & ex illa lacus vicinia ad mare ſacrum à Petro vocandus, & Eccleſiæ nauem clauo, & clauibus adhibitis regendam. Adhuc priuatus ad totum orbem pertinebat erumpentibus foras virtutibus, nec illos domeſticos limites ferentibus. Gradatim tamen ad faſtigium venit, vt merita manifeſtaret, & fortunæ nihil, vel gratię debuiſſe doceret. A teneris Eccleſiaſtico ordini addictus, cui sẽper ſtuduit, antequam Epiſcopum ageret Epiſcoporum cultor, & obſeruator inſignis. In Parochos, & Curatores animarũ propenſus, quòd ij communi ſaluti inuigilant. In Canonicos, & Clericos multa, & effuſa exiſtimationis, & benignitatis ſigna oſtẽdit. Religioſos ordines peramanter amplexus eos præcipuè, qui ex inſtituto Euangeliũ propagãt: Hinc in Patres Prędicatores ſingularis beneuolẽtia, qui Doctores ſunt Orbis, non minus doctrinarum inſtitutis, quã morum exemplis. Hinc in noſtros Franciſcanos ſtudiũ ſingulare. Hinc amor in Societatis PP. Odeſchalcorũ quaſi ingenuus, & hæreditarius. Bernardus Odeſchalcus primus Societatem Comum induxit. Omnes pènè huius familiæ

Prin-

Principes Patres Societatis,& præceptores doctrinarum, & magiſtros morum habere. Ijs aures in ſcholis dare, illorum auribus animorum ſenſa prodere, ad eorum pedes mentis maculas deponere, inter eos frequenter verſari, apud eos ſe ſe ad virtutes exercere. In eorum Seminarijs initia præclara diſciplinæ poſuere. Quin tu ipſe, Sanctiſſime Pater, in Romano iſto Seminario & doctrinis, & virtutibus inſtitui voluiſti. Tu Epiſcopus Nouarienſis apud eos animum luſtrare ſolitus. Tu illud Nouarienſe collegium detrimentis obnoxium, ac ære alieno grauatum collatis pecunijs ſæpè leuaſti. Tu Comenſi in facultatum anguſtias redacto ſubſidium,& demenſum annuum tribuiſti. Quin & vir inclytus frater tuus, Heros Chriſtianus, Domui Profeſſæ Mediolanenſi inopia laboranti ſubuenire conſueuit. His nominibus tuam Societatem reddidiſti, quæ ſe vni totam tibi addictam profitetur. Sunt & alia neceſſitudinis vincula plurium ex hac tua familia Procerum, qui Societati nomen dederunt, in qua nonnulli cenſentur ſingulari eius ordinis ornamento. Inter quos eminet Pater Antonius Odeſchalcus, is, quem Summus Pontifex Gregorius Decimustertius miſit in Poloniam, & Tranſyluaniam, vt vtrunque illarum gentium Principem doctrina litterarum, morumque informaret. Sunt & hodie nonnulli Odeſcalchi, qui ad magnam religionis gloriam adoleſcũt. Huius ſtudij erga Religioſos homines argumentum eſt perilluſtre, quòd Tu, Innocenti Sanctiſſime, Princeps,& Paſtor Eccleſiæ conſtitutus animi tui arbitrium, ac conſcientiæ regimen viro Regulari Clerico, quem elegiſti Confeſſarium, committere voluiſti: cui quidem tuo iſto præiudicio pręclarum doctrinæ, ac virtutis teſtimonium reddidiſti. Et quidem ille eiuſmodi eſt, vt tuo ſanctiſſimo ingenio, genioque reſpondeat: modeſtia, demiſſione animi, probitate morum, doctrinæ præſtantia, integritate vitæ commendabilis, omnibus amabilis, moleſtus nulli, Innocentiæ exemplar, Ludouicus Marracius, nomen extra inuidiam, intra gratiam. De quo Tibi Pontifex Optime Maxime gratulandum, quòd omnium votis ſatisfaciat. Nec minus te prudentem probaſti in eligendo Confeſſario, quàm in conſeruando Concionatore, quippe quo nihil eſt eloquentius, nihil doctius, nihil ſincerius, nihil efficacius, nihil ſanctius, nihil integrius, nihil ad Sacras Cõciones habendas accommodatius: qui verba factis attemperet,& dictis exemplo fidem faciat: qui ſiue loquatur, ſiue taceat, ſemper vitam,& mores ad libellam virtutis informet, & aſperitatem inſtituti Capuccini ad doctrinam vertat. Is eſt P. Bonauentura Recanata, Orator Sacer, omnium ore cantatiſſimus, cui parua laus eſt eſſe numeroſum, cùm ſit omnibus numeris abſolutus.

Hæc attinent felicitatem domeſticam. Illud publicam. Incidiſſe te, Pater Sanctiſſime, in optimos Reges, ac Principes, quorum ope, ac opibus poſſis Chriſtianam & tueri,& propagare Rempublicam. Eximios

eos

eos eſſe conſtat, dotibus animi, & corporis, religione ſumma, virtute excellenti, ſpectata magnanimitate, fortitudine prꝑſtanti, exquiſita prudentia. Alij alios, ſuos quiſque laudet, Ego meum ſumo: cuius ſum & ciuis, & cliens. Certè Dux noſter Sereniſſimus paulo ante ritè electus, omnium votis expetitus, Aloyſius Contarenus, is eſt, quo nihil excogitari poteſt perfectius; ſplendore ſanguinis clarus, indole celſus, animo magnus, conſilio maturus, vitæ purus, moribus integer, in ſuperos pius, in ciues beneuolus, ad externos propenſus, cupidus fidem catholicam defendendi, & auidus amplificandi. Quem ſi tibi adiungas, Innocenti Sanctiſſime, non erit magnoperè ab hoſte metuendum. Noſti quanta ſit Reipublicæ Venetæ Religio, quanta erga Romanos Pontifices reuerentia! Quãtas propter eos ſuſceperit cum Principibus contentiones. Noſti non modo prælia, ſed bella contra Turcas geſta, victorias de infidelibus reportatas. Noſti pro recuperandis Hieroſolymis expeditiones, & vbiq; gentium parta de ijs, & conſtituta trophæa. Noſti Orientale Imperium aſſertum, ac vindicatum. Noſti denique paratos potentiſſimos exercitus, claſſes ornatiſſimas, arces munitiſſimas, portus tutiſſimos. Omnia tibi præſtabunt cum fide, quam nunquam fefellerunt. Hoc Principe aliquid magnum tibi, ſumme Pontifex, conandum, & aggrediendum. Aderit, iuuabit, porriget manum: nullum ille, vel fortis ducis, vel fidi conſiliarij, vel ſtrenui adiutoris officium prætermittet. Nullus vnquam Princeps extitit locupletior, nullus potentior, quòd omnium ſuorum ciuium corda in poteſtate habeat. Quod tu es Romæ, ille eſt Venetijs: tu amaris, ille diligitur: tu adoraris, ille colitur. Tibi vbique acclamatur, & illi applauditur. Tibi contigit Curia ſplendidiſſima Patrum, illi Senatorum nobiliſſima. Vtrobique purpura fulget, argumento ſeſe vſque ad ſanguinẽ pro ſuo Principe pugnaturam. Vide, quæſo, quos Roma iſthic Venetos Cardinales habet? quàm prudentes, quàm graues, quàm magnanimos, quàm ſplendidos, quàm eruditos? Quatuor ſunt verè Cardines, quatuor virtutibus Cardinalibus comparandi, niſi quòd in ſingulis omnes quatuor Cardinales virtutes fulgent. His tu, Sanctiſſime Pater, adiunctis cæteris tuæ Curiæ Purpuratis Patribus, quæcunque aggredieris conficies, & quamquã omnes Romæ ſint corpore, totã mundi vniuerſitatem mente peruagantur. Ab ijs tu in ſolio collocatus, iiſq, comitatus intra Romam vniuerſum poteris Orbem adminiſtrare. Septem illi Spiritus Deo adſtantes à Ioanne dicuntur *miſſi in omnem terram* propter curam, & ſolicitudinem, quam habebãt omnium Eccleſiarum; erant in diuina illa curia coram Deo præſentes, nec tamen vno in loco continebantur, ſed in totum mundum exibant, ac in eo operabantur. *Caput* tuum *circuitus* eſt *eorum*, dum in cogitationibus tuis occupantur, & voluuntur. Vno circumactu capitis vniuerſos fideles intueris. Qui caput tuum videat, videbit omnes in eo deſcriptos

Apocal. 5 | Pſal. 139.

fideles, quos & mẽte complecteris, & amore. Imò quidquid agis, quid. quid præſtas in Vrbe Romana, ad totius Eccleſiæ vtilitatem pertinet. Propterea tu, Beatiſſime Pater, in rerum domeſticarum adminiſtratione tantum operæ ponis, quòd ex ea pendet regimen Eccleſiæ: inde petuntur gubernandi Chriſtianam Rempublicam documenta. Seuera domus tuæ correctio admonet orbem emendationis ſuæ. Tonabat, ardebat Spiritus Sancti ignis in cænaculo, & illud ſchema foras erumpebat ad doctrinam gentium, ac linguæ illæ igneæ extra erupturæ Eccleſiã inſtruebant. Apud te, Sanctiſſime Pontifex, & habitat, & docet Spiritus Sanctus: quidquid ibi agitur ad nos dirigitur. Mirantur omnes qui vident tantum Pontificem rationes ſumptuarias ſubtiliter recognoſcentem, normas, & regulas Datariæ ſeriò expendentem, vſus Cancellariæ penitus inſpectãtem, Cameræ Apoſtolicæ intimos ſinus prorſus introſpicientem, libellos ſuplices diligenter examinantem. Sed deſinant mirari: ex domeſtica tua diſciplina totius pendet Eccleſiæ gubernatio. Probas illam Platonis, Socratiſq; doctrinam ſententium, à quo domus optimè gubernetur, ab eo demum feliciter adminiſtrandam eſſe Rempublicã. Sapiens ille Rex Salomon calculo ſuo, & anteceſſit, & ſacrauit Platonicam ſententiam. Ædificaſſe dicitur Templum

Lib. 3 Reg. c. 16. domini, templũ illlud magnificentiæ theatrum, ſtructuræ prodigium, opulentiæ domicilium, ad ſtuporem artis, ad inuidiam cæli, ad illicium ſuperũm compoſitum, omnium ſeptem miraculorum ſummam, extra mundum locãdum, vt in vacuo ſolitariũ eſſe videretur *Ædificauit Salomon annis ſeptem.* Mirum quòd tantum opus ſeptennio perfecerit, quod cum æternitate certare poſſet. Domum verò ſuam regiam

Ibid. c. 7. annis tredecim penè altero tanto, conſtuxiſſe: ita *Tredecim annis.* Ecquis crederet tantò plus impendendũ eſſe temporis domui Salomonis, quàm templo Dei, quod ad religionem & adorationem publicam inſtitutum, & in quo Dominus habitaret? Nunquid maior habẽda ratio erat regiæ perſonæ, quàm diuinæ? Minimè quidem: ſed vti erant omnia arcanis ſenſibus plena, eo ſignificatum ſtructuram domus regiæ ad doctrinam animi pertinere, & in regia illa domo de templo cogitari, cùm omnis illa priuatę domus perfectio ad templum documẽtis tranſiret, itaque ordo, & fabrica palatij Sanctitudinem templi continebat. Hinc ipſimet templo nomenclatura *Domus* attribuitur. *Domus* quippe ſępè in eo libro Sacroſancto: templum raro appellatur, quòd huius religio ex illa domo pendebat. Vtrunq; ædificium in *templum*, & in *domum* verterat. Perinde erat domus, & *templum*: tecta, & altaria, foci, & thuribula, aulæa, & ornamenta, veſtes aulicæ, & Pontificię. Qui videret aulicam gentem ad modeſtiam, & grauitatem compoſitam, videbatur ei aſpicere Sacerdotalem, & Leuiticum cętum ad cultũ, & re-

Pſal. 143. ligionem comparatum. Id cecinerat regius Vates *Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ vt ſimilitudo templi.* Nihilo aulicę virgines habitu

oris,

oris,& corporis à Sacrario differebant. Singulas qui inſpiceret totidem templi imagines intueretur: qui in eas ita ſanctè ornatas,ac honeſtè incedentes incideret,in Aras ſe incurriſſe exiſtimaret; ac ſimul viſurus, & adoraturus procederet. Obuoluta manu Sacris operaturus erat quicunque eas erat allocuturus, indicto ſibi ob reuerentiam ſilentio,cilijs in arcum adductis, genibus flexis, curuato ad cultũ corpore, ingeniculatus,ſupplicantis ritu,non more alloquentis. Tanta erat aulicę gentis cum templo Dei ſimilitudo; nulla in ijs leuitas, & ſi Leuitas repræſentarent. Pulchræ virgines, & purę vbi templum halabat thure, illę inhalabant odorem virtutis. Sacrorum partem in ſe trahere, & aras ambulantes præſeferre, religionem conciliare, pietatem elicere, circumornatæ,cùm templum interius ſolùm eſſet ornatum,illæ vndique venerabiles apparebant. Haud ſecus aulici Pontificię domus incolæ ad effigiem templi à te, Sanctiſſime Pontifex,informati,cùm in publicum prodeunt ſacra quædam fercula videntur, quæ ſpirant ſanctitudinẽ; graues, modeſti, religioſi, templa,animata, quæ religionem incutiũt, & venerationem afferunt intuentibus. Nihil in oculis liuidum, nihil in comis cócinnũ,nihil in ueſtibus ambitioſum, nihil in exceſſu turgidum,nihil in ſermone garrulum, nihil in ſpecie affectatum; procul à fuco, aſpectu animæ pię ſenſum prodente. Imitantur te Pontificem, verè templum animatum virtutibus, ſacrarium viuum, ornatum diuinis dotibus ad prȩſidium,& decus Eccleſię comparatum. Eminet ille,ac extat,& aſpectu affirmat dignitatem: celſo vertice, & corporis habitu maius quiddam humano reprȩſentat. Nuſquàm meliùs collocatam videas animam, nuſquam nobiliùs animatum corpus;nec opus eſt,ſicuti Aaroni pomis crinitis, & coronatis ad maieſtatem ſignificãdam,vel tintinnabulis ad famam exerendam. Viſu melior quàm auditu. Prȩſentia ſuperat opinionem, & virtus animi vincit expectationẽ. Quò quis acutiùs intima penetrat,eo ſanctiora comperit. Innata, non arceſſita modeſtia: ingenita, nòn affectata grauitas: caſtigata, non fluxa humanitas: compreſſa, non impenſa facilitas: temperata,non aſperata maieſtas: non inſipida morum, ſed gratia condita ſuauitas; addita religioni reuerentia,& beneuolentia intra metum,& fiduciam conſtituta ad homines in officio continendos, apta quidem,& iuſta moderatio,vna tamen effuſa in omnes liberalitas. Illud mirabile:in vnum animum tot incubuiſſe virtutes, quę cum diuerſitate munerum ſeruent æqualitatem,& cùm omnes emineant, nulla exorbitet, ſed tanquam diſpares ſonitus hinc inde concurrentes,diuini cuiuſdam concentus harmoniam efficiant. His à teneris inſtructus eam iniſti viam, quæ ad faſtigium duceret. Quidquid inchoabat ætas perfectum iri ſpes affirmabat. Honorum initia culmina portendebant: magiſtratus à limine ſalutabas, & ſumma oppignerabas. Maiori ambitione tui,quàm tu eorum: quò inuitior ad eos veniebas,eò ipſi te libentiùs inuitabant, Num.11

Accipiebant dignitates à te ornamenta, non dabant: puduit honorum ſuæ inæqualitatis, cùm ſe inferiores tuis meritis noſſent, & cùm te verecundia cunctantem teneret, illę ne obſtaret pudor cupidę tui ſeſe intrudebant. Nunquam tibi nocuit expectatio; vt magna eſſet ante dignitatem, poſt illam obtentam creſcebat, & per gradus ibat opinio, quoque altiùs aſcendebas, eò te elatiùs fama vocabat. Vincebas expectationem, & vota omnium priùs anteuertebas meritis, & poſteà ſupęrabas. Exibas è Magiſtratu coronato capite, & aliam coronam ad gerendum alterum prouocabas. Similis ei, de quo in Apocal. Ioann. Apoc. c. 6. *Exiuit, inquit, vincens, vt vinceret*. Spe aucta: expleto munere. Magnitudo virtutis, & impetus ex ea collectus volare te poſſe ad culmen ſignificabat; ſed tu cunctator malebas procedere, quàm volare, ac per gradus aſcendere pedetentim, & morari, vt probares meritum videntibus, ne ſi quis te volantem cerneret, is fortunæ incręmentum imputaret. Scalam tibi ex honoribus ſtruxiſti, ſimilem ei, quam Iacob vidit in Geneſis Angelis aſcendentibus, & deſcendentibus plenam. Geneſ. 28. Quorſum? Si Angeli erant, & alis abundabant, cur non pinnis explicatis pennato impetu ad culmen rapiebantur? Iuſtitiæ attendebant: iuratum illis gradatim ire, & alas coercere, vt proderent meritum in aſcenſu, non fortunam in volatu: poterant momento, & ad vnum ictum oculi euolare: ſed illa feſtinatio ictum gloriæ inferebat, dum meriti aſpectum adimebat. Pennas ergo damnabant, & quæ adiumento eſſe poterant, eas in impedimentum vertebant, & in compedibus pennæ numerabantur. Gratiæ, & ambitioni ſeruit, qui cupit euolare, cùm poſſit gradatim aſcendere. Id tibi propoſitum, ſummum ſcalæ, cui Deus innixus erat, intueri, omnes ad eum cogitationes dirigere, omnes in eo curas collocare. Finis honeſtatum placere Deo; nec tu aſcenderes, niſi Deum tibi ſcopum proponeres. Talem te geſſiſti Nouariæ Epiſcopus. Talem te Neapoli Prætor. Talē Romæ Cardinalis: multis negotijs tibi publicis in Sacris Congregationis impoſitis, vni tantùm bono Eccleſiæ attendiſti. In ſumma illa Congregatione Concilij non vnus inter cæteros Patres videbare, ſed omnes in te vno gerebas, atque adeo integrum Concilium repræſentabas. Ex illo Concilio in conſilium verſo vniuerſi purpurati principes in Pontificem aſſumpſerunt, vt Eccleſiæ & Conciliorum omnium caput eſſes, quæ vnius eſt prærogatiua Pontificis. Eo te monuit Deus, vt qui anteà priuatus doctrinam Fidei, & morum, quæ Conciliorum ſcopus eſt, tradideras, eandem Pontifex tradendam, & tuendam publica auctoritate ſuſcipias. Hæc tibi prima cura eſſe debet. Huic te potiſſimùm & vacuum, & integrum oportet impendere: hanc in corde gerere, imo & pro corde habere. Verè quippe Pontifex, & Eccleſia viuunt ex Fide. In Rationali Aaronis Superhumerale certis annulis commiſſum inerat, qua parte incumbebat

pectori,

pectori, doctrina, & veritas inerat, cordi nimirum reſpondens, & vi- Exod. 28.
tam afferens vitta hyacynthina nectente ob cæleſtem colorem, quem repræſentat veritas doctrinæ, ac morum, quòd à cęlo veniat, & pendeat. Illa erat pectori impoſita, & oculis expoſita, à qua non poſſent oculi aberrare. *Erit vita tua pendens ante oculos tuos*. Ferenda in cor- Deut. 28.
de, & in oculis geſtāda præ amore. Superhumerali cōmiſſa, quod onus, & munus Pontificatus referebat, cùm præcipua officij Pontificij pars ſit ſtudere doctrinæ, adſtruere veritatem: hæc eſt anima, & vita Pontificis colligata vittà cærulea, ne decidat in terram, imo ſit ſuſpenſa à curis mortalibus, nequid fæcis contrahat ex vicinia terreſtrium. Pura veritas eſſe debet, vel ab vmbra, & ſuſpicione erroris. Non ſatis eſt ad eam adſtruendam arcere falſitatem, niſi etiam remoueatur ſuſpicio. Memineris illud Cæſareum. *Domum Cæſaris non modo culpa, ſed etiam ſuſpicione carere oportere*. Hac vna in re virtus eſt ſuſpicacē eſſe: nec enim de nihilo ſuſpicio naſcitur: ac ne ſit vnde naſcatur tintinnabula veſti apponūtur *dare ſonitum in inceſſu*, vt Vulpes, & Lupi abigantur, qui moliuntur inſidias. Procul hinc huiuſmodi peſtes. Periclitantur in Palatiis, & aulis Principum veritates. Ioānes Baptiſta veritatis vox in deſerto clamans inuenitur; nouerat non in aula, non in Regia natam eſſe veritatē, ſed in Eremo extra palatium, vbi ſonāte voce Eccho fida eādem repetebat, ad duras & aſperas cautium veruccas, & rupium ſaxeas fibras alliſa, non intra molles flexus, & ſinuoſas plicas veſtiū aulicarū, admiſſa, & amiſſa. Nec vacat Myſterio, quòd illa purpura, qua veritas inuoluta in rationali ſpectabatur erat ex cocco bis tincto, ne vllum de nouo colorē pateretur. Nouatores, & Nouaturientes arcet, coloris incapax, atque adeo bis tincto, vt nouam tincturam excluderet. Amat fides, & veritas dibapham, quòd ſit Deiphoba. Magnam doctrinam continet ſtructura Rationalis. Illa palmaris: cùm eſſent tot annuli in Supernumerali, & in Rationali, qui fibularum inſtar ſtringunt, & nectunt, vittas tamen deſiderabant, quarum nodis colligarentur. Quid opus erat vittis fluxis, vbi erant annuli ſolidi? Vittæ alterius erant generis, & aliunde veniebant, extraneæ, & peregrinæ; ſcilicet non ſoli ad examen veritatis ſunt Theologi domeſtici, & Romano ex auro compoſiti adhibendi, ſed alij ex alijs de longe poſitis prouincijs conſulendi. Eccleſia Romana catholica eſt. Caput tu vniuerſale, Summe Pontifex, vnum tecum omnes fideles etiam remotiſſimi corpus efficiunt. Omnium es anima vna: tam ſunt propè externi, ac extra Romanam Vrbem fideles, quàm patria, victuque Romani. Hoc Dauid vidit cùm cecinit *Qui ſta-* Pſal. 133.
tis in domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri. Si iam in Domo erant quomodo in atrijs, quæ ſunt extra Domum? De fidelibus agebat, perinde eſt eſſe in atrijs Eccleſiæ, ac in ædibus. Vtrique ſunt in domo: nemo qui fidelis ſit extra Romā eſt: omniū Ciuium, & externorum

parius eſt in prodenda, & arcenda hæreſi. Peſtis eſt hæreſis, nemo qui eam nouit, & fugit, & arcet reprehendendus eſt, imò laudandus. Paſtores cuſtodes gregum ſuos habent canes ad arcendos lupos, quicunque tamen & ſi externus, vti Moloſſus lupum allatret, & abigat, eo vti debent, & audire, & mulcere latrantem. Ineptus eſſet paſtor qui diceret huiuſmodi canibus: abite: meos canes habeo, quorum eſt latrare: latrent ij ſoli, tu tace, & mutus eſto. Perperàm: nam canes domeſtici minus ſunt aſſueti lupis, ac eos minimè interdum norunt, quòd ſunt in vrbibus in frequentia, externi nouerunt quod foris, ac inter eos verſantur. Canes domeſtici interdum ſunt otioſi, & delicati: latrare deſinunt, ne turbent dominos, diſſimulant, conniuent, ignoſcunt: alij aſperi, & agreſtes hoc ſolùm curant latrare, mordere, expellere: muti eſſe nec ſciunt, nec valent, nec attendunt quietem, & otium dominorum, ſed ſalutem pecorum. Docemur id à Dauide paſtore, & cuſtode gregum *Lingua*, inquit, *canum tuorum ex inimicis*. Cur canes tui dicuntur, ac ex inimicis? Aptiores videntur ex amicis, vt ſint tui. Minimè quidem; etenim canes fidi, & probati ſunt ij, qui verſantur apud inimicos, vbi ſunt lupi, quibuscum pugnant, & certant. Non ergo abigendi ſunt canes ex inimicis, ſoliti agnoſcere, & perſequi inimicos lupos. Hos ſibi canes adiungit Paſtor diuinus, qui veniunt ex inimicis: quippe qui norunt, qui ſint inimici gregis, quos produnt, & manifeſtant. Hi ergo tui ſint canes, Paſtor vniuerſalis Eccleſiæ Innocenti, qui inter lupos verſati lupos agnoſcunt, & inſectantur. Optimæ notæ canes ij eſſe ſe produnt, qui maximè latrant, & omnia vel tuta timent, & vmbras etiam allatrant. Nihil eſt in Fide leue; non eſt ei locus in ioco: tota eſt ſeria, luſum pati neſcit; vel fortuitus tactus præteruolantis pilæ ad pedes impactæ offendit Sacerdotem. Ictum palmarem in iugulo putauit, cùm ad talum allidi Chriſtianus ſenſit. Nec excuſſit modo veſtem, ſed exuſſit, ne peſtis ſerperet. Chriſtus virtutem ad tactum fimbriæ emiſit, ac exire deprehendit. E ueſte Antichriſti erumpit virus peſtilentiæ, & afflatu viperino proditur. Quicunque ſit à quo Pus promanet, opus eſt eum arcere, & extra caſtra mitti, ne quem inficiat, ſiue Presbyter, vt Arius; ſiue Archiepiſcopus, vt Neſtorius; ſiue Archimandrita, vt Eutyches; ſiue Monachus, vti Pelagius; ſiue Eremita, vti Lutherus; ſiue Abbas vti Ioachimus, omninò euitandus eſt. Licet alijs criminibus aures dare, hæreſi non licet. Alijs aliorum criminum reis ſæpe fit gratia, hæretico erroris nunquam, niſi correcto. Imperator Conſtantinus effuſa pietate peccantes in moribus Sacerdotes tegere ſolitus, neminem hæreticum texit, ne hoc genus criminis purpuræ imputaret. Hìc fige, Innocenti Sanctiſſime, obtutum animi tui. Hìc *terminus eſto* Romani Pontificatus, vt immobilis ſit, & incorrupta

Pſal. 67.

Lucæ 8.

fides

Fides; quam ſi ſerues, ac tueris domi, ea facile, ac feliciter propagabitur, quod etiam tuum eſt. Verùm, vti præſtat conſeruatio imperij propagationi, ita præſtantius eſt tueri, quam amplificare fidem, nec ea poterit micare foras, niſi intus firma conſiſtat. Inde cepit fidei Chriſtianæ veritas propagari, vbi crux Chriſti infixa fuit, & Chriſtus ei affixus. Illis clauis alæ prædicantium nixæ in vniuerſitatem orbis euolauerunt. *Cæli qui enarrant gloriam Dei* Apoſtolos figurant, qui miſſi in omnem terram, mobilitatem ſphærarum cæleſtium præſeferebant: verùm ipſi ad firmamentum reuocabantur, *Opera manum eius annunciat firmamentum*, in quo aſtra figuntur. Inclyta illa Roma, quæ *Imperium Oceano, famam terminauit aſtris, habuit Capitoli immobile ſaxum*. Catholica fides ſupra petram ædificata, caput nacta eſt Petrum, & nexum lapidem angularem. Eius vices tu, Innocenti Sanctiſſime, geris. Ad hanc petram allide paruulos errores, ne adoleſcant, contunde capita ne ſerpant. Nec de tua prouidentia dubitandum, qui abundas oculis, & currum Eccleſiæ oculatum intus, & foris pręſtare pergis, ne quid ſit in cuſtoditũ, neglectumue. In ſpecula excubas, & aſpectu emiſſitio cuncta penetras; introſpicis, & rimas vel minimas diſcernis, ne nauis tibi commiſſa admittat turbidam aquam, quę in ſentinam coeat, & puteat. Flagras quippe odore virtutis, quę non patitur vllius halitus grauitatem. *In odorem vnguentorum*, ſiue virtutum tuarum, quarum viuum exhibes myrothecium currunt animi fidelium ſuauitate allecti. Doctrinę credunt paſtoris, & in Cathedra docenti, & extra Cathedram operanti; reſpondent dictis facta, & opera ſunt partes doctrinę. Loqueris ad aures verbis, & oculos inuitas geſtis. Perſuades auditus, viſus conuincis; quę tradis voce, manu confirmas, Spiritus ad aurem dictat vera, Spiritus agit cor, vt opera præſtes. Verbum Diuinum imitaris, cuius, auctore Auguſtino, verba perinde erant ac facta: quòd cùm verbum eſſet quidquid ageret verbum erat: eadem verba in facta tranſibant, quia quidquid diceret res erat Verbi; docens clamabat, operibus inclamans *Operibus credite* Tu, Pater Beatiſſime, ita operaris, vt is qui tua opera videat; teſtimonia doctrinę accipiat. Infallibilis es cùm dicis, & verus cùm agis. Nihil diſcrepante vita à doctrina. Diſcunt à te fideles, cùm per aures te audiunt, diſcunt per manus, cùm te tangunt. Sicuti Thomas tangendo credidit, ita & fideles per tactum manuum opera tua deprehendendo credunt. Tanti eſt bene operari. Moribus erudis, ceu legibus, nec oportet vti præceptis, vbi leges ſunt exempla. Qui te ſequitur errare nequit: orbitam quippe virtutis quà graderis impreſſam relinquis, à qua qui non recedat ſemper pedem in honeſtate ponat. Ceſſare à doctrina non potes; nam vt ſileas, vt taceas, dum incedis, dum te moues, dum ambulas, greſſu doces. *Ambula coram erimus perfecti*.

Pſal. 18. | Virg. lib. 1 Æneid. | In Ioan. | Ioan. 20.

Peri-

Peripateticorum diuinam Academiam inſtituiſti: Ariſtotelæa præſtantiorem. Libet hic exclamare *Beati immaculati in via qui ambu-*
Pſal.118. *lant in doctrina* Innocentij. Monuit hic me nomen ominis, & oneris, quod ſecum affert Innocentius: Magnum quidam augurat, grande quiddam imponit. Nullos tu in hiſtoriarum monumentis inuenies, aut geſtis clariores, aut doctrinis inſtructiores, aut virtutibus ornatiores, aut vtiliores Chriſtianæ Reip. Pontifices, quàm Innocentios, & hoc ipſum omen eſt Pontificatus tui, in hanc expectationem erigi, vt illos decem numero, vnus tu ad viuum repræſentes. Placet ſingulos commemorare, ac te ijs conferre, & an reſpondeas perſpicere: Innocentius Primus Religionis ſumma laude floruit: Fidem aſſeruit: hæreſes extinxit: Cataphryges Roma expulit; ſed eum clariſſimum reddiderunt Pelagius, & Cęleſtius proſcripti: horum ille technas argutas redarguit, itaut homines verſipelles dolati ad dolos, verſati in verſutijs, tuti aſtutijs, ſtrophis intorti, giris inuoluti, deprehenſi tandem, & proditi ſuæ perfidiæ pęnas luerint. Secundus Innocentius ſchiſma Anacleti, & Victoris ſuſtulit: pacauit Italiam, & Arnaldi, & Almerici errores confixit. Innocentij Tertij præclarum ſtudium fuit, exarmare hoſtes inteſtinos, alienos adoriri, & ſuſpectos de hæreſi vel illuſtres viros, inter quos Ioachimus fuit, damnare. Innocentium Quartum eadem coxit cura: cruda vbique intra Italiam, & recrudeſcentia bella extinguere, ad Orientale bellum Catholicos principes adhortari. Innocentio Quinto breue ęuum Reipublicæ Chriſtianæ augendæ occaſiones abſtulit, ſed ſemeſtri, quo vixit, eximium magnanimitatis ſpeciem præbuit; Intentus pacificandis diſſidentium Italicorum principum animis, quos ambitio imperandi in contrarias factiones diſtraxerat. Innocentius Sextus in turbulenta incidit tempora, non idcircò tamen à cogitatione auertendi Chriſtiana in Turcas arma deſtitit, ac niſi mors interceſſiſſet, fortem, felicemque manum adhibuiſſet. Innocentij Septimi ea prærogatiua fuit, vt tres Soles in ſuo Pontificatu aleret, qui poſtea Romanam Sedem tenuerunt, Angelum Corrarum, dictum Gregorium Duodecimum: Petrum Philargum, qui Alexander V. Otthonem Columnam, qui Martinus V. appellatus, ac ijs quæ ipſe gerere non potuit gerenda reliquit. Innocentio Octauo Religio & iuſtitia cordi fuit, arma innocentia mouit ad vtriuſque cuſtodiam, & incrementum. Ciuiles tumultus ex Italia in Thracios egit fines, eòque numos innumeros deſtinauit, ratus auro bellum aureum reddi, ac verè bellum, cum pro religione ſuſcipitur. Hic
Pſal.25. *In Innocentia ſua* ingreſſus, progreſſus innocenter ex Ciborum familia Illuſtriſſima, adipe frumenti cibauit Eccleſiam; iam antea in Bonifacio Nono eiuſdem gentis delicatè & largiter paſtam, quorum germen hodie floret in Alderano Cibo, Cardinali, nulli ſecundo

nouo

nouo Innocentio adhærente,& ipſo Pontificatu digniſſimo.Innocentius Nonus ob breuitatem vitæ oſtenſus potius ad ſpeciem optimi Pōtificis,quàm datus, bimeſtri quo vixit ingentes minas ſtructuræ Eccleſiaſticæ præbuit,quas ſi vixiſſet cœlo æquaret,Magna meditatus de amplitudine portus Anconitani;de tumoribus Tiberis coercendis, de Annonæ caritate flagellanda Innocentio X. glorioſus maximè Pontificatus extitit,quà domi,quà foris: aucta religio, aſſerta fides, ſacerdotia culta, ſacra cuſtodita, Eccleſia amplificata, iuſtitia ſeruata. Id palmare,quòd te ille diuino quodam afflatus ſidere purpura decorauit,& ceu futura preuideret Pontificem deſignauit. Inſignem eum maximè reddidit Ianſeniana peſtis deprehenſa, prodita,& abacta. Hos tu decem Summos Pontifices Innocentius XI.ceu vndecimum cœlum cęteros orbes complectitur, cōprehendis,& præſtas. Succeſſor es dignitatis, ſolo tempore minor, vna cedis ætate, at vt ſperamus; excedes virtutibus. Sequeris præcedentes paſſibus,dotibus antecedis. Anteuertiſti exempla, quibus non indigebas:cùm propriæ tibi ſint virtutes, quæ ex te oriuntur, dum à diuina gratia inſeruntur. Hinc eſt vt huic vni omnia debeas, & ſolum Deum creditorem habeas, qui te Ideam formare voluit, vnde peterentur exempla. Omnium ſummam contines,& repręſentas: nihil in te quod ad gloriam, & immortalitatem ſpectet deſideratur. Cunctorum votis ſatisfacis. Vnum expetimus, ac expectamus, vt Innocentio Decimo ſimilem te præbeas in excindendis Ianſenianæ peſtis reliquijs, quæ ſuppoſitæ cineri doloſo recaleſcunt, & fumant. Adeſt Eminentiſſimus Barberinus immortalitatis æmulus, æternitatis capax,quem res tangit, quòd Vrbanus Octauus eius Patruus primus infelici arbori germinanti bipennem iniecit. Præſtò eſt Eminentiſſimus Chiſius, famæ ſudantis iuſta occupatio,quem adhortatur memoria Alexandri VII. eiuſdē Patrui, à quo eadem eſt hæreſis profligata. Iuuat Rex Chriſtianiſſimus Ludouicus Triumphator, qui repullulantes in Gallia ſtolones nuper edicto regio,ceu gladio amputauit.Habes tandem Eminentiſſimum Albizium, quem Diuina prouidentia ſaluum & incolumem tibi ſeruauit, Innocentii Decimi animam, cuius opera illa errorum monſtra confecit. Hunc tu Herculem adde Atlanti tuo ſubſidiariū: partire munera: vt Atlas ferat, & regat Eccleſiam, & tecum clauo aſſideat, curam fidelium ſuſcipiat, eos inſtituat, foueat, gubernet, dirigat, ſuſtentet: Hercules verò hoſtes arceat, monſtra contundat, pericula depellat. Atlas Cibus domi, & foris, quæ pacis ſunt, cuncta adminiſtret: Hercules Albizius bella curet, & pro Eccleſia prælietur; Talē te gere, qualem olim Moyſes inter Eleazarū, & Ioſue ſe geſſiſſe legitur,commiſſa Eleazaro gubernatione Reip.delegata Ioſue præliandi cum hoſtibus prouincia his verbis: *Tolle Ioſue virum, in quo eſt* Num.27
ſpiritus, & pone. In Albizio quippe Spiritus eſt aſſerendi religionem,

tuendi

tuendi Apoſtolicam auctoritatem, ſuſtinendi Eccleſiaſticam immunitatem, hæreſes, & peruerſa dogmata euertendi, quæ ſunt bella Domini. Hac tu ratione gratum facies iuſtis Manibus Innocentij Decimi, cui te gratum ſatagis exhibere. Summa eſt, Innocenti Sanctiſſime, vt quoniam maxima eſt & exiſtimatio, & expectatio tui, hæc vota communia impleas. Sola nobis eſt optāda felicitas, vt tibi tempora grauida rerum gerendarum contingant. Sunt enim quædam ſterilia tempora, quæ materiam auferunt operandi. Speramus itaque fore, vt Deus Opt. Max. qui Te nobis tantum Virum, totq; ornatum animi, & corporis dotibus Pontificem ſingulari prouidētia deſtinauit, donauitque, plurimas tibi, & egregias Heroica patrandi, & de Chriſtiana Repub. præclarè merendi occaſiones ſuppeditet, ne vacuum tuæ virtuti locum reliquiſſe videatur. Quòd ſi tamen minus fęcunda, quàm pro expectatione noſtra, & tua dignitate ætas hæc fuerit, noſque ſpe iuſti fructus fraudauerit, illud ſolatio erit, & gloriæ, quod iam tenemus, & illa non poteſt amittere: Te perfectum tuliſſe Pontificem, qui tantus es, vt immortalitatem merearis, & in hoc breui vitæ mortalis curriculo impleas, & præſtas æternitatem.

Dicebat Patauij
Fr. Franciſcus Macedo.

00 25 9765

1060 11
2

Digitized by Google

Digitized by Google